



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. V. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

justificatione sine proprio actu, quæ est justificatione parvulorum: Ergo Christus in primo instanti fuit justificatus per proprium actum voluntatis, more adultorum, & consequenter in primo instanti conceptionis, actum voluntatis supernaturalem & liberum exercuit; solus enim actus liber & supernaturalis, est dispositio antecedens vel concomitans nostram justificationem.

Dico tertio: Christus meruit in infantia, & toto tempore vitæ, usque ad instantem mortis.

19. Prima pars hujus conclusionis patet ex dictis in præcedenti: si enim Christus in primo instanti conceptionis meruit, non est cur infantia tempore ipsum non meruisse dicamus.

Favent etiam SS. Patres, qui passim in sermonibus de Nativitate, Circumcisione, & pueritia Salvatoris, agnoscunt incommoda quæ Christus infans pertulit, fuisse nobis meritoria, & salutaria: Ambrosius enim lib. 2. in Lucam cap. de Nativitate Salvatoris sic ait: *Me illius infantia vagentis abluunt stetus, mea lachryma illa delicta laverunt.* Augustinus serm. 11. de tempore: *Adoremus pannos infantie, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Item S. Thomas infra quæst. 37. art. 1. inter alias causas circumcisionis Christi, hanc statuit, ut scilicet legis onere nos liberaret, secundum illud Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*

20. Ratio etiam suffragatur: Ut enim sæpe diximus, & est tritum & commune Theologorum principium, Christo tribuenda est omnis perfectio possibilis, quæ nec cum munere Redemptionis, nec cum majori perfectione pugnat: At Christum in infantia nobis meruisse, cum munere Redemptionis non pugnat; imò potius infinitam ejus erga homines charitatem mirum in modum commendat; nec cum majori perfectione impossibile est, ut ex argumentorum solutione patebit: Ergo asserendum est, Christum tempore infantia meruisse.

21. Ex quo probata manet secunda pars conclusionis: Non enim repugnat Christum à primo instanti conceptionis, usque ad instantem mortis exclusivè, meritum continuasse, cum à sensibus in merendo non dependerit, ut ex infra dicendis constabit; & alias sic meruisse, maximè charitatem ejus erga homines commendat: Ergo asserendum est, Christum meritum suum à primo instanti conceptionis, usque ad instantem mortis exclusivè, continuasse.

22. Dico quartò: Christus nec meruit nobis post mortem, neque nobis nunc meretur.

Probatum primò ex Scriptura, Apostolus enim ad Hebræos 10. docet Christum oblatione corporis sui, quæ in cruce se Deo Patri pro nostra redemptione & salute obtulit, consummasse in sempernum sanctificatos, seu nostræ redemptionis opus perfecisse: Sed hoc falsum esset, si adhuc post mortem, nostram salutem, vel aliquid ad illam spectans, meruisset, aut mereretur: Ergo Christus nec meruit nobis post mortem, neque nobis nunc meretur.

23. Probatum secundò conclusio: Una ex conditionibus requisitis in aliis hominibus, ad merendum sibi, vel aliis, est status viatoris: Sed nulla est ratio excipiendi ab hac conditione & regula generali Christum: Ergo post mortem, in qua status viatoris terminatur, nec sibi, nec aliis meruit.

Major in Tractatu de justificat. & merito, fusè declarata & probata fuit, Minor verò suade-

A tur: Tum quia ad istam exceptionem nullum adest fundamentum. Tum etiam, quia ipsemet Christus Joan. 9. expressè fateatur se sub hac generali lege comprehendendi, cum ait: *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est: Venit nox quando nemo potest operari, id est mereri: per noctem enim intelligitur in hoc loco mors: seu tempus quod erit post hoc sæculum, ut annotant Chrysostomus homil. 55. in Joan. Augustinus Tract. 44. in Joan. & Origenes homil. 3. in Psalm. 36. ubi hæc scribit: Dominus & Salvator ait, veniet nox quando nemo potest operari, & hoc dicit de illo tempore quod erit post hoc sæculum.*

B tempore quo unusquisque pro malis suis recipiet pœnas. Tunc ergo dicit, noctem illam futuram, cum jam nemo potest operari aliquid, sed unusquisque tunc pascitur ex operibus suis quæ hic postius operatus est. Cum ergo nox fuerit, nemo operatur. In illo tempore malo, cum peccatores suppliciis affliguntur, erit sine dubio fames his qui nullos fructus boni operis collegerunt. In illo autem famis tempore, saturabuntur justi, ex fructibus scilicet justitiæ suæ. Sicut enim in deserto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die non unius diei modium, sed quantum sufficeret ad crastinum colligebant. & unusquisque edebat in die sabbati quæ collegerat in die sexta: ita etiam nunc velut sexta quadam dies putanda est Domini nostri Jesu Christi adventus, & tempus hoc dispensationis ejus, quam passione suâ hoc in sæculo procuravit. Et idcirco dum in die sexta sumus, colligamus manna dupliciter, ut sufficere nobis possit, dum advenit vera sabbati observatio populo Dei. Si enim non collegerimus duplices cibos, qui nobis & in præsentis sæculo sufficiant & in futuro, in diebus famis non saturabimur.

C Dico quintò: Christus in instanti mortis suæ non meruit. Probatum primò ex Divo Thoma infra quæst. 50. art. 6. in corp. & ad 2. ubi docet mortem Christi in facto esse non fuisse operatam meritorie nostram salutem: Sed in instanti extrinseco vitæ Christi, & intrinseco mortis, est mors Christi in facto esse, cum sit verum dicere in illo, Christus mortuus est: Ergo Christus in illo instanti non meruit.

Probatum secundò: Status vitæ, sumptus pro conjunctione animæ ad corpus passibile, est conditio necessaria ex divina ordinatione ad merendum sibi & aliis: Sed in instanti physico mortis, non fuit anima Christi corpori mortali unita: Ergo in illo instanti non meruit. Minor probatur ex communi Philosophorum sententia, docente viventia desinere esse per primum sui non esse: Ergo in instanti mortis Christi, verum fuit dicere, nunc primò non est Christus ut homo vivens vitæ mortali: Ergo verum fuit dicere, nunc primò anima Christi non est illius corpori unita, & consequenter in illo instanti, anima Christi non erat corpori mortali conjuncta.

§. V.

Solvuntur objectiones.

O B jicies primò contra secundam conclusionem: Meritum consistit in actuali operatione: Sed in primo instanti in quo res incipit esse, actualiter operari non potest: Ergo nec actu mereri, & consequenter Christus in primo instanti non meruit. Major patet, Minor proba-

tur. Operari, juxta commune axioma, sequitur ad esse: Ergo in primo instanti conceptionis rei, nequit dari actualis operatio.

27. Respondeo, negando Minorem, ad probationem dicatur operationem successivam supponere prioritate temporis esse, secus autem instantaneam, hæc enim solum potuit supponere esse prioritate naturæ, ac proinde potest esse simul tempore cum illo: unde in eodem instanti in quo Sol incepit esse, incepit illuminare, & in primo esse conceptionis Christus vidit divinam essentiam: actus autem voluntatis ad meritum requisitus, non successivus, sed instantaneus est, & per consequens potuit in Christo in primo instanti suæ conceptionis competere. Ita D. Thomas infra quæst. 34. art. 2. ad 1. & quæst. 29. de verit. art. ultimo ad 2.

28. Dices: Actus meritorius debet esse liber, saltem quoad exercitium: Sed actus liber præexistentiæ rei in tempore perit: Ergo & actus meritorius. Minor probatur: Actus liber requirit consultationem: Sed consultatio, cum in discursu & collatione consistat, non potest in instanti exerceri: Ergo actus liber non potest convenire agenti in primo suæ formationis instanti, subindeque illius præexistentiæ perit.

29. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus probationem dicendum, actum liberum præexigere consultationem, cum non supponit plenitudinem cognitionis, secus verò cum plenitudinem scientiæ & cognitionis supponit: Christus autem sicut à primo instanti fuit plenus gratiæ, ita habuit plenitudinem scientiæ speculativæ & practicæ; & ideo ad actum liberum, seu ad liberam electionem, nec consultatione, nec deliberatione consilij indigebat. Solutio est D. Thomæ infra quæst. 34. art. 2. ad 2. & quæst. 29. de verit. art. 8. ad 1.

30. Obijcies secundò contra tertiam conclusionem: Meritum cum in actu voluntatis consistat, actum intellectus regulantem requirit: Sed non fuit instantiæ tempore in Christo actus intellectus regulans: Ergo nec actus meritorius voluntatis. Major patet, Minor probatur. In Christo triplex tantum scientia fuit: beata scilicet, infusa, & experimentalis: Sed nulla ex his potuit actum meritorium regulare: Ergo &c. Minor probatur quantum ad singulas partes. In primis enim quod scientia beata actum meritorium regulare non potuerit, manifestum videtur; nam meritum convenit Christo in quantum viatori: At scientia beata Christum comprehensorem constituit, ipsique ut viatori non competit: Ergo actus meritorius in Christo regulare non potuit. Idem videtur dicendum de scientia experimentalis, hæc enim cum à sensibus dependeat, quorum actus Christo tempore instantiæ non competeant, præsertim quando erat clausus in utero matris, non potuit illo tempore à Christo exerceri. Quod verò meritum in Christo tempore instantiæ per scientiam infusam regulari non potuerit, eodem argumento probatur; nam etiam hæc scientia, utpote ejusdem rationis cum scientia per se acquisita, in suis operationibus à sensibus dependebat: Ergo instantiæ tempore nulla fuit scientia in Christo, quæ actum voluntatis meritorium regulare posset.

31. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ad cujus probationem, nego etiam Minorem, & ad probationem illius, in primis dico non esse improbabilem plurium Theologorum

A sententiam, asserentem actus meritorios potuisse regulari in Christo per scientiam beatam. De quo infra. Secundo respondeo actus meritorios quos Christus in primo instanti conceptionis, vel tempore instantiæ exercuit, fuisse regulatos per scientiam infusam, quam Christus habuit in primo conceptionis momento: hæc enim poterat intelligere cum conversione ad phantasmata, & independentem ab illis, ut docet D. Thomas supra qu. 11. art. 2. eo quod scientia per se infusa conveniat animæ Christi ut non obligat corpori, nec ab illo dependenti, tamen illi unita sit.

Dices, Corpus communicaturum est cum anima in præmio: Ergo debet etiam cum illa communicare in merito, & consequenter omnis actus meritorius debet ab anima egredi ut communicante cum corpore, subindeque regulari per scientiam à corpore dependentem.

Sed nego Consequentiam, cum enim beatitudo corporis sit ex redundantia beatitudinis animæ, & complementum illius; ut corpus cum anima in præmio communicet, sufficit quod anima unita corpori actus meritorios eliciat, etsi non ut dependens à corpore.

Obijcies tertio contra quartam conclusionem: Christus in cælis existens, Patrem pro nobis orat:

Sed oratio meritoria est: Ergo Christus in cælo meretur, & consequenter meruit post mortem. Major est certa, & colligitur ex variis Scripturæ locis: nam Joan. 14. Christus dicebat, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Et 1. Joan. 2. dicitur: *Advocatum habemus ad Patrem.* Item ad Roman. 8. Apostolus ait, *Christus est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Minor verò in qua est difficultas probatur primo: Oratio impetratoria est, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 15. Sed impetratio meritum est, ut constat ex Augustino Epist. 101. sic dicente: *Nec remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc imperet:* Ergo oratio meritoria est. Secundo oratio habet ex charitate efficaciam merendi, ut ibidem docet S. Doctor: Sed oratio Christi in cælo nunc existentis, ex maximo charitatis affectu procedit: Ergo per illam Christus nunc in cælo existens meretur.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus primam probationem, nego etiam Minorem; meritum enim, etiam congruum, ab impetratione distinguitur, constat clare ex D. Thomæ 1. 2. quæst. 114. art. 9. ad 1. ubi concedit donum perseverantiæ cadere sub impetratione, non autem sub merito; & 2. 2. quæst. 83. art. 16. docet peccatores petendo aliquid à Deo, impetrare, & tamen solut. ad 2. negat quod mereantur à Deo, & ibidem art. 11. ad 1. docet sanctos in cælo existentes orare pro beatitudine corporis, illamque impetrare à Deo, & nobis beatitudinem animæ, non tamen mereri. Nec obstat testimonium Augustini quod in contrarium adducitur, nam interpretari debet ille locus, vel de merito largè & improprie sumpto, sub quo omnis exigentia formæ, sive per modum juris aut condignatis, sive per modum dispositionis aut impetrationis comprehenditur: vel de impetratione, quæ orationi propria non sit, sed aliis etiam virtutum operibus competat, qualiter cum merito de congruo coincidit; & de hoc genere impetrationis loquendo, vera est conditionalis Augustini, quod scilicet peccatorum remissio non est sine aliquo merito, si fides impetrat illam.

Ad secundam Minoris probationem dicatur, orationem

orationem habere ex charitate efficaciam merendi, quando meritoria est, & hoc docet D. Thomas: non autem omnis oratio ex charitate procedens, meritoria est, ut ex ipso jam vidimus.

35. Obijcies quartò contra ultimam conclusionem: Voluntarium in causa sufficit ad peccatum, & per consequens ad meritum, ut communiter docent Theologi in Tractatu de Peccatis, variisque declarant exemplis: Sed in instanti extrinseco vitæ Christi, & intrinseco mortis, mors fuit ei voluntaria in causa, nimirum ab actu libero suæ voluntatis, quo se causis mortis subiecit: Ergo in illo instanti Christus meruit.

36. Respondeo, distinguendo Majorem: Voluntariū in causa sufficit ad meritum, si adsint omnes conditiones ad meritum requisitæ, concedo Majorem. Si desit aliqua conditio, nego Majorem. In instanti autem extrinseco vitæ Christi, & intrinseco mortis, deest aliqua conditio ad merendum necessaria, scilicet status viæ, anima enim à corpore separata, in statu viæ amplius non est, unde 2. ad Corinth. 5. dicitur: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*; & ideo in illo instanti Christus non meruit, non defectu libertatis, sed quia illud instans erat extra viam Christi.

§. VI.

Corollarium notatu dignum.

37. EX dictis inferes, vulnus lateris, Christo mortuo inflatum, non fuisse meritorium: licet enim fuerit voluntarium in causa (nam Christus dum viveret, hanc sui corporis transfixionem admittere voluit) non fuit tamen illatum Christo in statu merendi constituto; cum jam obijisset, & anima abesset à corpore; unde acceptatio quidem ejus fuit meritoria, non tamen ipsum vulnus, ejusve permissio.

38. Quod de merito diximus, negantes illud vulnere lateris Christi, aequè dicendum est de satisfactione, contra Vegam lib. 7. in Trident. cap. 18. qui censuit plagam illam fuisse satisfactoriam, etsi non meritoriam: sicut (inquit) animæ in purgatorio post mortem sunt incapaces meriti, non tamen satisfactionis. Sed negandum est animas purgatorij satisfacere, cum tantum satisfactantur. Præterquam quod est magna disparitas inter animam perpeffionis capacem cum sensu doloris, & corpus Christi, animæ & sensu doloris planè destitutum.

39. Advertendum tamen est, quod licet hæc plaga nec meritoria nec satisfactoria fuerit, nobis tamen salutaris fuit, nam ut inquit S. Doctor infra quæst. 50. art. 6. in corp. *Quidquid contigit circa carnem Christi, etiam animâ separata, fuit nobis saluiferum, virtute divinitatis unita.* Hinc SS. Patres asserunt sanguinem de latere transfixoeductum post Christi mortem, fuisse pretium nostrum ac redemptionem, & lavisse peccata nostra, unde vulnus illud *saluberrimum* dicitur, & S. Ambrosius in Psalm. 40. ait *Christum vulneratum, vitam produxisse ex vulnere.* Item serm. 3. in Psalm. 118, asserit quod sicut in vineis Engaddi lignum est quod si quis compungat, unguentum seu balsamum emittit: Ita Christus compunctus in cruce, balsamum per cavernam punctiois eripit, & odorem remissionis peccatorum, & redemptionis effudit. Hinc etiam Guericus Abbas serm. 4. in Ramis palmarum, piissimè hortatur fidelem animam, ut abscondatur in fossa humo, juxta Prophetæ monitum, hoc est in latere Christi transfixo.

Tom. IV.

A xo. Non ad ipsum tantum (inquit) sed in ipsum fuge. In foraminibus petra ingredere, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fossolatre ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere arce, salvandis à facie diluvij? Illud tamen figura, istud autem veritas, ubi non modo servatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Idè quippe latus suum pius & misericors aperuit, ut cruer te vulneris vivificet, calor corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti & libero meatu aspiet. Ibi tuò latebis, donec transeat iniquitas. Ibi nequaquam algebis, eo quod in visceribus Christi non frigeat Charitas, ibi delictis afflues, ibi gaudiis superefflues &c.

Similia habet Lanspergius homiliâ 54. de passione Domini, ubi fidelem alloquens, sic ait: *Disce habitare in hoc vulnere lateris, si enim amica aut sponsa est anima tua, ubi suavior illi thalamus dormiendi, quam in hoc vulnere? si columba es, ibi locus est tibi ad nidificandum, si passer esse decrevisti, nusquam tibi magis conveniens erit locus, ubi abstractam & solitariam vitam agas, quam in corde Christi. Si turtur es, & castis variisque gemitibus ad Deum suspiras, hic locus requiescentis erit. Hic esuriens manna invenies, quod edas; sitiens hic fontem salutis invenies, ubi bibas: hic enim est fons paradisi, & à paradisi medio egrediens, & in fidelium se corda diffundens: C est hic ostium arce, per quod intrant non perituri diluvio.*

ARTICVLVS II.

An Christus per actum charitatis quo Deum diligebat, meruerit?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & referuntur sententia.

D R Atio dubitandi, eaque gravissima est, quia de ratione actus meritorij est quod sit liber, cum libertas sit una ex conditionibus ad meritum requisitis: Sed actus charitatis quo Christus diligebat Deum, non erat liber, sed necessarius; Christus enim, utpote clarè & intuitivè videns divinam essentiam, necessariò diligebat Deum, cum Deus clarè visus ad sui amorem necessitet, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 4. art. 4. his verbis: *Voluntas videntis Dei essentiam, ex necessitate amat quicquid amat sub ordine ad Deum: sicut voluntas non videntis Dei essentiam, ex necessitate amat quicquid amat sub communi ratione boni quam novit.* Ergo actus charitatis quo Christus diligebat Deum, non erat meritorius.

E Mirum est quantum hæc difficultas Theologorum ingenia exerceat, & in quam varios dicendi modos eos abire compellat. In primis enim Vazquez argumèti difficultate oppressus, disp. 74. cap. 3. absolute negavit Christum per actum aliquem charitatis erga Deum meruisse: cumque dilectio proximi, non à charitate Theologica, sed à benevolentia erga proximum, in ejus sententia eliciatur, consequenter censet per nullum actum charitatis Theologicæ Christum meruisse.

Alij distinguunt duas dilectiones in Christo, utraq. ad Dei bonitatem in se & ratione sui terminatam: unam regulatam scientiâ beatâ, aliam scientiâ supernaturali infusâ; & asserunt primam fuisse necessariam, secundam autem liberam & me-

NNnn